

No. 255. 1283. 1. Apr.

B. Withego eignet dem Schatzmeister der Domkirche Conrad von Boruz die von ihm erkaufte zinsbaren Güter zu Kaufbach, von welchen dieser sein, seiner Eltern und Wohlthäter Jahresgedächtniss anzuordnen gedenkt.

Withego dei gratia Misnensis ecclesiae episcopus universis praesentes litteras inspecturis salutem in omnium salvatore. Cum ea quae fiunt in tempore, breviter labantur a memoria hominum, nisi scripto perennentur, recognoscimus et tenore praesentium publice protestamur, quod moti fidelitate et obsequio ac intentione sincerissima specialis nostri, domini Conradi dicti de Boruz, ecclesiae nostrae thesaurarii, volentis suum in sanitate vitae condere testamentum suorumque progenitorum ac benefactorum memoriam peragi in futurum, a Theoderico Kuneconis civi Vribergensi mansum et dimidium situs in Koufbach^{a)}, solventes annuatim decem et octo solidos et novem denarios Vribergensis monetae et tres pullos, quos Rudolfus eiusdem villae incola possidebat, insuper quindecim denariorum redditus annuos cedentes de dimidio manso a dicto Rudolfo possesso, ut viginti solidorum numerus compleatur, quorum medietas in festo beatae Walpurgis et medietas in festo sancti Martini cum tribus pullis debetur a dictorum mansorum cultoribus vel possessoribus perpetuo persolvenda, pro marcis undecim comparavit. Nos igitur considerantes, non facile nec brevi posse vacare ecclesiae, verum maius sperantes meritum consequi apud deum, proprietatem dictorum mansorum cum omni iure, quod inest vel inesse poterit, accedente unanimi consensu nostri capituli dicto thesaurario dedimus, ut de ipsis in ecclesia Misnensi ordinare valeat, quicquid decreverit ordinandum. Ut autem haec firma permaneant, nec ab aliquo successorum nostrorum super ipsis suscitari sibi quaestio valeat nocitura, praesentem paginam desuper conscriptam eidem dedimus in testimonium nostri et capituli nostri sigillorum appensionibus roboratam. Testes sunt dominus Siffridus decanus Misnensis, dominus Johannes praepositus Wurzinensis, magister Conradus archidiaconus Nisicensis, dominus Heidenricus cantor Misnensis, magister Theodericus praepositus Budesinensis, dominus Johannes de Strele, magister Gebehardus in Hayn praepositus et magister Conradus scriptor noster, canonici Misnenses, et quam plures alii fide digni. Actum et datum Misnae anno domini M^o. CC^o. LXXX^o. III^o. Kalendas Aprilis, pontificatus nostri anno XVII^o.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit den Siegeln des Bischofs und des Capitels an Pergamentstreifen.

a) Kaufbach, Par. Kesselsdorf.

No. 256. 1283. 10. Sept.

Markgraf Heinrich beurkundet, dass zu Beilegung des Streites mit dem B. Withego wegen der Gerichtsbarkeit in Wurzen, Mügeln, Meissen und Stolpen und der Jagd bei Stolpen von beiden Theilen je vier Schiedsrichter ernannt worden, deren Aussprüchen sie sich unterwerfen wollen.

Nos Henricus dei gratia Misnensis et Orientalis marchio, recognoscimus tenore praesentium publice profitentes, quod cum inter venerabilem dominum Withe-